Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue] voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. V. De Frigidis, Et Maleficiatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

Visual Library

Votorum qualiter inſtrumenta, ac monimenta aſſeruanda, & ſi ex impoſsibilitate non exſoluentur reſarcienda, & ab Epiſcopo ſolenniora quando curanda erunt. Cap. III.

VOti nuncupati inſtrumentum, Notarij manu confectum, auctoritateq́; munitum, ad Epiſcopum menſis ſaltem ſpatio afferatur, vt in Archiuio Epiſcopali aſſeruetur perpetuò, cuius inſtrumenti, etiam exemplum, eiuſdem Notarij teſtificatione, fideq́;, roboratum in Eccleſia illius populi, Uniuerſitatis ve, quę vouit, vt diligentiſſimè poteſt, cuſtodiatur ad perpetuitatem.

Utq́; voti, cuius executio in perpetuum præſtanda ſit, monimentum in conſpectu omnium extet, idem curet, in tabella lapidea votum, votiq́; cauſam, & conditiones incidi, eandemq́; loco Eccleſię conſpicuo, atque illuſtri collocari, atque parieti agglutinari.

Vbi autem, cum votum nuncupatur, præſcripta ratio, ac cæremoniæ, ob peſtem, aliam ve cauſam neceſſariam præſtari non poſſunt; tunc omnino eas præſtari curet Parochus vbi primùm potuerint.

Hanc omnem rationem, tum celebriores etiam ritus, ceremoniasq́; adhiberi Epiſopus curet, ſi ciuitatis populus votum nuncupare deliberarit.

DE CONSANGVINITATE, & Affinitate. Tit. IIII.

Quando matrimonium inter eoſdem iterum celebrandum erit. Cap. I.

QVIBVS matrimonij contracti in vno aliquo ex impedimentis, quibus illud cõtractum dirimitur, diſpenſatio à ſancta ſede Apoſtolica, aut in foro conſcientiæ, aut in vtroque foro delegata eſt; ij, vt ad literarum Apoſtolicarum præſcriptum illos, cum quibus diſpenſari conceſſum eſt, matrimonium iterum contrahere cogant.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS. Tit. V.

Quis impotens ad contrahendum matrimonium non admittatur. Cap. I.

NON permittat Epiſcopus eunuchum, ſpadonem, aut caſtratum quouis modo matrimonium contrahere, & contracta diſſoluat cum verè matrimonia non ſint, ſed immunditiæ, & ſpurcitiæ, vt ſanctiſſimus Dominus noſter Sixtus Papa Quintus per ſuas literas declarauit, quas in fine huius libri imprimi mandamus.

Nõ.n. incipit valere matrimonium propter Papę ſuperuenientẽ diſpẽſationẽ, per ſolã cohabitationem, & copulam ſubſequẽtẽ, ſed neceſſe eſt, vt nouè contrahatur, Nau. in Man. c.22. nu. 80. & nu. 86. & vbi prius cũ requiſitis ſolennitatibus contractum fuit, ſine illis & clam, denuò contrahi poteſt. Ita quidem declaraſſe Pium V. & ea declaratione ſacrum pœnitentiariæ prætorium frequenter vti teſtatur. Idem Nauar. d. c. 22. nu. 70. & nu. 86. Vide c. 2. eo. ti. in Decret. Sot. in 4. ſent. diſt. 34. q 1. art. 2. Tom. 2.